



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ermelindis V. 29. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

29. Octob. VITÆ SANCTORUM. 679

S. ERMELINDIS V. 29. Octobris.

Eodem tempore thalamum ERMELINDIS & *Deus & Dei* numquam non rivalis mundus ambivere. Sed exhorruit rectè infamem procum virgo, & duodennis sponsum sibi pulcherrimum è filiis hominum *Christum* legit, candidum eundem & rubicundum. At stultissimarentum vota generum mundum malebant; eamque ob rem, pro potestate, cogere filiam ad nuptias parabant. Hic verò illa generoso ausu virginem professa capillos suos ipsa rescidit, hisque veluti vinculis jam expedita, mundo ne nuberet, excessit mundo. Insecuti tamen castissima vestigia sunt gemini fratres, iidemque Veneris mancipia. Horum alter cum suam *Dea* sponsam etiam è templo raptum irret, monita ERMELINDIS à tutelari Angelo suo, pudori fugâ iterum consuluit, solaque deinceps vixit. Sed quid dico sola? quando cælo Paranymphe adfuere, castissimosque inter Hymenæos ad sponsum suum abducere. Neque verò mortuum etiam latere sponsam suam hîc voluit. Cælestes iterum cantus splendorque, sed præcipuè odor suavissimus mortalibus immortalium *Ermelindem* prodidère. Cur, nisi ut in odorem castitatis etiam tu curreres *Mariane? Ex Molano & Surio.*

Vu 4

Hac

Hæc recordatio magna tibi debet esse instructio : quoniam pro magno diligere non debet, quidquid sine concluditur. Illa petenda, illa summoperè diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta desiciunt. S. Greg. l. 7. Regist. c. 54.

SS. ZENOBIUS ET ZENOBIA.

30. Octobris.

A Deste hereditatæ filii, & delapidare (neque enim hoc jam vetabimus) patrimonium vestrum à ZENOPIO nostro discite. Iste ubi hereditatem paternam adiit, totam hanc in pauperes & egros intra non multos dies effudit. Quid frontem contrahitis tam subito avari? an rectius poterat sua locare quàm celo, quo, quidquid accipiunt, fidæ pauperum manus ferunt? Sed & viventis etiamnum manum munificam remunerare Deo placuit, quando arte medicandi tantâ imbuit, ut vel ad tactum ejus omnes passim morbi fugerent, ac deinde in patriâ urbe Regis pontificali pedo, palmâ denique gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysias Proconsuli inter omnia tormenta victor extorsit. Et fortè ab equuleo pendens cassas tyranni minas despiciebat, cum ZENOPII etiam soror ZENOBIA accurreret, & vero ex eodem tam forti sanguine se prognatam jactitans sociam germano se junxit. Lysias utrumque in ferreum